

ex ignorantia directe oriri; potest tamen indirecte et per accidens ex ignorantia oriri, scilicet si quid est volitum secundum aliquem respectum cognitum, quod si cognosceretur adaequate secundum alios suos respectus, foret simpliciter non volitum.

Potest ergo dividi sub hoc respectu ignorantia :

influens in actionem — — sine qua non fieret praesens actio :
 { antecedens voluntatem : quae nullo modo ipsa fuit volita.
 { consequens voluntatem : quae ipsa fuit volita,
 { affectata — — — volita in se, ut quis licentius agere possit.
 { crassa = supina : volita in alio, quae facile vitari poterat.
 { negligens — — — permissa in alio, quae vitari poterat.
 concomitans actionem = non influens in actionem, i. e. sine qua tamen fieret praesens actio.

N. B. Posset quidem eodem modo subdividi ignorantia concomitans atque influens, in antecedentem et consequentem; sed ad rem nostram nihil conferret talis distinctio.

II. Ignorantia omnis, sive influens sive concomitans, potest esse :

invincibilis — quae depelli non potest acquisitione cognitionis oppositae.
 { physice — si media physica desunt, sive interna sive externa.
 { moraliter — si media physica adsunt, sed
 { vel non occurrit suspicio, cogitatio depellendae ignorantiae,
 { vel non apparet obligatio eam depellendi,
 { vel nimia est difficultas eam deponendi, ita ut eam depellere homines cura rationabili non possint.
 vincibilis — quae depelli potest.
 { physice — si adsunt media physica tum interna tum externa.
 { moraliter — si desunt simul tres conditiones supra dictae.

N. B. Practico tamen usu recepto in morali, ignorantia physice vincibilis quae non simul esset moraliter vincibilis, dicitur ordinario *ignorantia invincibilis*, nempe moraliter.

CAPUT II.

DE ATTRIBUTIS MORALIBUS ACTUS HUMANI.

Triplex distingui potest actuum humanorum proprietas. Si enim actus in seipso spectatur, bonus vel malus esse potest quoad moralitatem : si vero relate ad subjectum agens consideratur, ipsi imputabilis vario gradu vel non imputabilis est; dein relate ad suos effectus morales, est meritorius vel demeritorius. Unde.

Quaestio 1. De moralitate actus humani.

Quaestio 2. De imputabilitate et correspondente responsabilitate.

Quaestio 3. De merito et demerito.

QUAESTIO 1.

De moralitate actus humani

Propositio 14.

Intrinsecum est discrimen inter actiones honestas et inhonestas.

Notiones. 1) *Moralitas* generatim est ea actionum humanarum proprietas, qua bonae vel malae vel indifferentes sunt, prout humanae sunt. Consistit autem ea bonitas, malitia, vel indifferentia, in habitudine convenientiae, disconvenientiae, vel negatione habitudinis ad finem ultimum hominis.

2) Actus humanus considerari potest secundum solum objectum suum specificum, abstrahendo a concretis adjunctis, et sic moralitas ejus vocatur potius *honestas* vel *inhonestas*.

3) Si actus humanus consideratur concrete cum adjunctis et prout a libera deliberatione sub cognitione suae honestatis vel inhonestatis procedit, dicitur strictiori sensu *moralis*, seu *moraliter bonus* vel *malus*.

4) Hinc patet, per errorem intellectus fieri posse ut actio objective honesta fiat moraliter mala (seu ut dicitur saepe : formaliter inhonesta), vel ut actio objective inhonesta fiat moraliter bona (seu formaliter honesta).

Stat. quaest. 1) Intrinsecam et immutabilem honestatem vel inhonestatem actionibus humanis inesse, seu quod idem est, intrinsecum discrimen esse inter bonum et malum morale objectivum negant : a) qui ex humana institutione et legibus humanis omnem moralitatem derivant; — b) qui ex populorum opinione et consuetudine; — c) qui a Dei libera voluntate.

2) Intelligenda est praesens propositio de objectiva honestate et inhonestate.

Prob. 1° Actio est honesta vel inhonesta, seu bona vel mala homini ut homini, prout hominem ad finem ultimum ordinat vel ab eo avertit; *a.* dantur actiones humanae quae natura sua, ab intrinseco, hominem ordinant..., vel avertunt...; *e.* dantur actiones quae natura sua, ab intrinseco, sunt honestae vel inhonestae.

Prob. maj. Homini, vi naturae humanae est certus aliquis finis ultimus praestitutus, ac proinde totus homo bonus non est nisi in quantum ad finem illum tendit; *a.* ad hunc finem non nisi per actus suos humanos tendere potest; *e.* bonus vel malus homini ut homini, seu honestus vel inhonestus est actus, prout hominem...

Prob. min. Multae sunt actiones quae omnino necessariam habent relationem cum assecutione vel remotione finis ultimi; v. c. amor vel odium Dei...; *a.* haec necessaria relatio non ab extrinseco invenitur, sed ex analysi ipsius actus humani objective spectati, et comparati cum natura hominis, ejusque fine et facultatibus; *e.*

Prob. 2° Teste historia et psychologia, habetur persuasio invincibilis, universalis, constans, perpetua, actus aliquos esse essentialiter bonos, alios

essentialiter malos; *a.* talis persuasio, utpote fundata in ipsa natura rationali, est infallibilis; *e.*

Coroll. 1^m Ergo fundamentum discriminis inter honestum et inhonestum est sola essentia rerum et actionum; nam *a)* fundamentum discriminis intrinseci et immutabilis debet esse intrinsecum et immutabile; *a.* tale nihil est in ordine creato praeterquam ipsae essentiae; *e.* — *b)* discrimen illud exprimitur per veritates metaphysice certas; *a.* metaphysica talium veritatum certitudo in ipsis rerum essentiis tota fundatur; *e.*

Coroll. 2^m Ergo nec humanae institutiones et leges, nec populorum opinio et consuetudo, nec ipsa Dei voluntas, possunt fundamentum honestatis et moralitatis esse, quippe quae actui humano extrinseca sunt, vel quibus ipsis, ut nos obligent, jam praesupponendum et discrimen inter bonum (submissionis) et malum (rebellionis).

Coroll. 3^m Ergo formalis ratio *honestatis* consistit in relatione congruentiae vel repugnantiae ad naturae humanae finem ultimum; — *moralitatis* autem, in actionis regulabilitate a ratione, et libertate voluntatis elicientis vel imperantis; nam per hanc homo fit simpliciter et complete bonus ut homo, i. e. constitutus in recta tendentia ad finem ultimum.

Coroll. 4^m Ergo quamvis diversus sit conceptus proprius moralitatis et libertatis, quia tamen a parte rei actus liber, et actus humanus, et actus moralis non differunt, ideo promiscue saepe usurpantur tria nomina; — itemque morale dicitur quidquid ad hominem ut intellectualem et liberum refertur.

Coroll. 5^m Alio sensu strictiore saepe actus dicitur *moralis*, qui moraliter bonus, et *immoralis*, i. e. privatus moralitate debita, qui moraliter malus est.

Objic. Ideo actio est congruens fini ultimo, quia est honesta; *e.* illa congruentia non est ipsa honestatis essentia, sed proprietas ad eam consequens. — **Prob. antec.** Ideo est fini congruens actio, quia conformis intentioni creatoris naturae humanae; *a.* haec conformitas est honestas; *e.* — **R. n. ant.** — **ad prob : d. maj.** i. e. quia tendens ad eum finem quem ipse naturae creator intendebat, *c;* secus, *n.* — **c. d. min.**

Propositio 15.

Suprema norma honestatis humanarum actionum est objectivus ordo exsurgens ex naturalibus relationibus agentis ad varia entia.

Stat. quaest. 1) Quaeritur de *norma*, non *sensu aliquo latiore*, scilicet de re quae quocumque modo dirigat actionem, sive ut facultas, sive ut finis obtinendus, sive ut motivum; — sed de *norma*, *sensu strictiore*, i. e. de typo objectivo ad quem respiciat operans tanquam ad exemplar, ut ei suam actionem conformet, ita ut actio ad normam exacta sit hujus quasi reproductio.

2) Redit igitur ista quaestio ad hoc solum, ut practica regula assignetur : *a)* objectiva, — *b)* immutabilis, — *c)* universalis, — *d)* suprema, i. e. nulli alii

subordinata, — *e)* evidens et omnibus nota, — *f)* propria moralitati, ne ad alia extendi possit, vel confundi cum aliis normis agendi, artes vel scientias spectantibus; — talis, uno verbo, ut infallibiliter connexa sit ejus observatio practica et libera, cum honestate et moralitate actuum.

3) Talis norma objectivum suum esse habet in ideis Divinis, suntque rationes ideales increatae a Deo conceptae; quarum participatio objectiva existit in ratione humana.

4) Propositionem hanc negabunt : *a)* omnes qui negant suppositum discrimen intrinsecum inter honestum et inhonestum, — *b)* omnes qui errant circa conceptum proprium et rationem formalem honestatis et moralitatis, — *c)* omnes qui errant circa finem ultimum et verum bonum naturae humanae (cfr. supr.).

5) Non proprie nobis quoad rem adversantur, sed solum quoad modum dicendi minus explicitum vel minus accuratum, qui dicunt supremam normam esse *naturam rationalem*, vel *rectam rationem* objectivam, vel *complexum conditionum* in quibus versantur entia ad quae terminantur actiones nostrae, vel *ordinem objectivum rerum* ratione apprehensum, vel *ordinem rationis*, vel *rationem practicam* objective sumptam, i. e. dictamina practica objective spectata et universalis.

Notiones. 1) *Objectivus ordo*, qualis est a parte rei, etiam independentem a nostra mentis consideratione.

2) *Ex relationibus naturalibus* : scilicet ex variis perfectionibus, sive essentialibus sive accidentalibus, rerum omnium et ipsius hominis exsurgit universalis ordo non solum physicus mundi, sed etiam moralis tendentiae et destinationis. — Specialius vero relate ad hominem varia entia relationem ad finem ultimum habent, variam secundum diversas naturas et circumstantias concretas; ita ut nunc haec nunc illa sint, nunc uno nunc alio modo, homini media vel impedimenta ad finem ultimum; habeatque mutuam relationem homo ad ea variam. — *Naturales* dicuntur hae relationes, quia ex dictis naturis et circumstantiis, et ex humana natura necessario oriuntur.

3) *Norma honestatis...* scilicet, actio humana ut moraliter bona sit debet esse illius ordinis libera et efficax approbatio, seu ejus agnitio practica et expressio quaedam.

Prob. Illud est norma suprema actionum humanarum, cui natura sua debent istae actiones conformari ut habeant perfectionem moralem sibi convenientem; *a.* ut actus humani habeant perfectionem sibi convenientem, natura sua debent conformari ordini naturali exsurgenti ex relationibus agentis ad varia entia quae ab actione respiciuntur; *e.*

Prob. min. 1) Actio omnis humana est habitudo aliqua activa subjecti agentis ad terminum actionis; *a.* ens quodlibet debet se habere ad varia entia modo conformi relationibus quae inter ipsum et ea entia existunt; et illis relationibus opponi inhonestum est; *e.*

2) Iste ordo nihil aliud est nisi ipsa veritas, practice spectata, rerum exi-

stentium et ipsius agentis, quatenus ad finem ultimum alia sunt huic agenti media necessaria, alia utilia, alia indifferentia, alia nociva et obstacula; *a.* ad talem veritatem, tanquam ad directivum sui, debent conformari actiones, ut habeant perfectionem moralem sibi convenientem; *e.*

Coroll. 1^m Ergo rejicienda est eorum sententia qui reponunt normam honestatis in sensu vel instinctu morali, i. e. in sympathia quam ad bonum experimur, quae nos ad bonum invitat, a malo avertit; nam factum hoc conscientiae explicatur per objectivam evidentiam bonitatis et per habitum naturalem in intellectu nostro; neque ipsum potest esse norma objectiva quum sit in nobis subjectivum.

Coroll. 2^m Ergo *ordo moralis* est ordo consurgens ex ipsis hominis moribus, ex constanti humanarum actionum accommodatione ad *ordinem rationis objectivum*, normam suam.

Propositio 16.

Actionis moralitas ex triplici elemento desumitur: primario ex objecto actionis, secundario ex fine operantis, accidentaliter ex ceteris circumstantiis.

Stat. quaest. Quaeritur quomodo applicanda sit haec norma honestatis ultima, seu quae sint attendenda ut recte moralitas actionis iudicetur. Respondemus tria illa, et quidem dicto illo ordine.

Notiones. 1) Actio potest considerari vel interna *voluntatis elicitae*, vel a *voluntate imperata*, sive interna, sive externa.

2) Actionis a *voluntate elicitae* objectum formale (de objecto materiali nihil hic quaeritur) est bonum vel finis ipse operis, qui a fine proximo operantis realiter distinctus non est. Sed praeter illum finem proximum esse potest alius finis remotior ab operante intentus, v. c. si volo jejunium (finem proximum, bonum paenitentiae) propter aeternam gloriam (finem remotiorem). — In propositione prior finis habetur ut objectum formale, — remotior ut finis operantis.

3) Actionis a *voluntate imperatae*, praesertim externae, objectum formale saepe differt a fine operis; at de isto nunc nihil quaeritur, sed de solo fine operantis, i. e. de fine intento a voluntate imperante.

4) *Circumstantiae* illa omnia adjuncta intelliguntur quae aliquomodo actionem afficiunt, praeter ipsum objectum formale, quod eam essentialiter specificat. — Ista adjuncta tanquam accidentia actionis se habent, vel ex parte ipsius actionis, v. c. ejus intensitas, duratio, modus quivis; vel ex parte agentis, v. c. ejus conditio et munus, aetas, etc; vel ex parte termini extrinseci actionis, v. c. ejus conditio, munera, aetas, etc. — Unde actioni jam ab objecto specificatae potest accedere nova modificatio, vel etiam specificatio (si quando circumstantia aequivaleat novo objecto formali).

5) Ipse finis operantis est circumstantia accidentaliter relate ad essentiam actionis; sed inter ceteras haec praecipua est quoad moralitatem, quam speciali modo attingit.

Prob. 1^a pars (ex triplici elemento). Illud omne concurrat ad actionis moralitatem efficiendam, quod concurrat ad ejus finalem ultimam directionem et conformitatem ordini naturali objectifo; *a.* ad hanc directionem et conformitatem concurrunt actionis objectum, finis operantis, et circumstantiae aliae; *e.*

Ad maj. Actionis moralitas consistit in ejus convenientia vel disconvenientia cum fine ultimo hominis, prout concreta actio a voluntate libera procedit; estque norma suprema honestatis ordo universalis naturalis ex omnibus relationibus exurgens.

Ad min. Ad hanc directionem et conformitatem necessario et unice ea concurrunt quae actum ut libere voluntarium afficiunt; *a.* hunc afficiunt necessario et unice: 1) objectum, ut propositus et intentus terminus, 2) finis, ut causans ipsam intentionem objecti, 3) circumstantiae, ut modificantes sive objectum, terminum intrinsecum actionis, sive subjectum agens, sive ipsam intentionem, sive terminum extrinsecum actionis; et proinde afficientes ipsas relationes quae sint servandae; *e.*

Prob. 2^a pars (primario. — secundario, — accidentaliter). Illo ordine ad moralitatem actionis concurrunt objectum, finis, adjuncta, quo ad actionis directionem finalem ultimam et conformitatem ordini naturali objectifo modificandam influunt; *a.* ad hoc influit 1) *primario et essentialiter*: objectum actionis, terminus intrinsecus specificans (cfr. ontolog.), — 2) *secundario*, i. e. non specificando sed necessario afficiendo: finis, voluntatis intentionem causans et proxime dirigens, — 3) *accidentaliter*, i. e. non necessario semper mutando, sed vere et varie modificando: circumstantiae adjunctae afficientes varios actionis terminos; *e.*

Coroll. 1^m Objectum actus humani potest sumi strictius et abstracte, et est objectum inadaequatum, quale supra dictum; vel latius et concrete, et est objectum adaequatum, includens et objectum strictius dictum et finem operantis et adjuncta omnia; et erit *bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu*.

Coroll. 2^m Illa sola adjuncta influunt in moralitatem quae et habeant aliquam convenientiam vel discrepantiam cum ordine rationis, et ut tales cognoscantur.

Coroll. 3^m Gradus bonitatis vel malitiae moralis pendet a gradu quo debitus ordo tum ex parte objecti, tum ex fine, tum ex adjunctis servatur vel turbatur; imo fieri potest ut adjuncta ipsam speciem actus moraliter immutent.

Propositio 17.

Quamquam dantur actus humani moraliter indifferentes si in abstracto considerantur, nullus tamen in concreto est qui non sit aliquatenus aut bonus aut malus.

Notiones. In abstracto consideratur actus si solum secundum suum

objectum, a quo specificatur primario, abstrahendo a fine operantis et ab adjunctis; — *in concreto*, si talis qualis in individuo hic et nunc exercetur, cum fine et adjunctis.

Stat. quaest. 1) Actionem theologi considerantes, admittunt inter supernaturaliter bonam actionem et malam actionem dari posse actionem indifferentem quoad supernaturalia. — Quaerimus hic utrum actio individua concrete sumpta possit esse indifferens naturaliter, i. e. nec moraliter bona nec moraliter mala quoad naturalia.

2) Respondet Scotus, etc. dari posse actus moraliter indifferentes omni sensu, i. e. non solum abstracte, seu in specie, sed etiam concrete, seu in individuo.

3) Respondet S. Thomas, etc. dari actus moraliter indifferentes in specie, sed non in individuo.

Prob. 1^a pars (*in abstracto*). In actu abstracte considerato moralitas nequit desumi nisi ab objecto; *a.* multa sunt objecta de se indifferentia; *e.*

Prob. 2^a pars (*in concreto*). 1^o Omnis actus *humanus* necessario refertur hic et nunc ad aliquem certum finem; *a.* ille finis est aut bonus aut malus; *e.*

Ad maj. Ex conceptu actus vere humani.

Ad min. Ille finis aut est (saltem aliquomodo) finis hominis naturalis, aut non; *a.* si est, est bonus; si non est, est malus; *e.*

Prob. 2^o Deus necessario vult ut omnia ad eum referantur ut ad finem ultimum; *a.* in actu humano circa objectum indifferens, hominis est dare directionem secundum voluntatem creatoris, ad finem ultimum naturalem; *e.*

Objic. 1^o Non potest admitti quod induceret impossibilitatem semper bene agendi; *a.* haec doctrina...; *e.* R. *c. maj.* — *n. min.*

Prob. min. Impossibile est ut quisque omnes suos actus referat ad Deum; *e.* — R. *d. ant.* ut semper explicite et immediate, *c;* ut saltem virtualiter, mediante fine immediato rationali, *n.*

Objic. 2^o Saepe agimus quin certum finem nobis proposuerimus; *a.* talis actus nec bonus nec malus dici potest; *e.* — R. *d. maj.* et actus non est humanus, *c;* secus, *n.*

Objic. 3^o Dantur multi actus etiam humani, qui nec praemium nec poenam a Deo merentur; *e.* indifferentes. — R. *c. ant.* — *d. cons.* indifferentes theologice, *c;* naturaliter et physice, *n.*

Objic. 4^o Actio per legem naturalem licita est indifferens. — R. *d.* in abstracto, *c;* in concreto, *n.*

Objic. 5^o Quod convenit speciei convenit individuo; *a.* sunt actus in specie indifferentes; *e.* — R. *d. maj.* sub hac ratione qua subest speciei, *c;* secus, *n;* — *d. min.* in specie, i. e. abstracte, ex parte objecti, *c;* omnimode, *n.*

Propositio 18.

Ad moralitatem discernendam nulla requiritur alia facultas praeter intellectum.

Stat. quaest. Varias sententiae: 1) *Materialistae* aliqui (ii scilicet qui discrimen inter bonum et malum morale agnoscunt) dicunt dari facultatem specialem mere organicam.

2) *Hutcheson*: dari sensum moralem, i. e. facultatem specialem spiritualem cognitivam, quae afficiatur passive fere sicut facultates sensitivae.

3) *Smith*: instinctum affectivum naturae rationalis, omnino distinctum ab intellectu et voluntate; quia a) videntes actiones varias hominum sentimus inclinationem quamdam ad eas imitandas, sympathiam, vel ad eas vitandas, antipathiam; — b) cum affectus nostros et sensus videmus cum affectibus et sensibus aliorum convenire, spontanea quadam delectatione afficimur; — c) haec sympathia et haec delectatio sunt omnino instinctivae, ante omnem intellectum vel voluntatem; — d) actiones aliorum approbamus vel improbamus, quae et quatenus nos sympathice vel antipathice commovent; — e) etiam proprias actiones nostras eodem modo aestimamus, nempe ad eas nos gerentes ut spectatores impartiales; — f) rationis est notare et memoriae tradere quae sint actiones quibus sympathice vel antipathice moveamur, et inde statuere principia generalia circa moralitatem actus.

4) *Reid, etc.*: instinctum intellectivum caecum, qui caeae et invincibiliter cognoscat principia morum.

5) *Scholastici*: nullam facultatem specialem, sed ipsum intellectum, et quidem modo suo ordinario agentem.

Prob. Nulla alia requiritur facultas, si omnia possunt per solum intellectum cognosci, et si de facto nulla est ratio ostendens aliam facultatem; *a.* ita est; *e.*

Ad min. 1 part. (possunt cognosci). Formalis ratio moralitatis est relatio actus ad finem ultimum naturae humanae; norma suprema est ordo objectivus rationis; *a.* utrumque ipse intellectus attingit; *e.*

Ad min. 2 part. Cfr. objectiones.

Objic. 1^o Conscientia nobis refert cognitionem moralitatis sine discursu intellectuali; *e.* — R. *d.* refert actum cognoscendi et non refert discursum intellectualem, quoties iste nimis obvius et facilis est, *c;* refert aliam facultatem, *n.* et *n. supp.* (non est conscientiae referre naturam facultatum sed solam existentiam actuum diversorum).

Objic. 2^o Moralitas est bona vel mala; *a.* non circa bonum, sed circa verum versatur intellectus; *e.* — R. *c. maj.* — *d. min.* non circa bonum appetendum...; *c;* non circa bonum dignoscendum, *n.*

Objic. 3^o Tanta est facilitas et promptitudo in discernendo honesto ab inhonesto, ut merito concludi possit hanc discretionem antevertere omne iudicium rationis. — R. *d.* in discernendo omni honesto (etiam in conclusio-

nibus remotioribus), *n*; in primis principiis moralitatis generalissimis, *s. d.* ut concludi possit... antevertere omnem rationis usum, *n*; longiora et subtiliora ratiocinia, *c*.

Objic. 4° De honestate saepe rudiores citius et tutius decernunt quam sapientium ratiocinia; *e*. — R. a) *d.* de honestate, i. e. de meliore et tutiore, *c*; de stricte licito vel debito, quod sapientiores quaerunt, *n*. — R. b) *d.* quia ex auctoritate vel bono habitu jam acquisito judicant, dum sapientiores theoreticas rationes inquirunt, *c*; secus, *n*. — R. c) *d.* quia probabile statim pro vero pronuntiant, dum sapientiores certitudinem quaerunt, *c*; secus, *n*.

Objic. 5° Judicia circa honestatem actuum non sunt evidentia, sunt tamen certa; *e*. — R. *d.* semper, vel saepe, *n*; aliquando, *sd.* non evidentia sunt judicia, *n*; non possunt ad evidentiam majorem exponi analytice, quia conceptus licet clari et evidentes, non tamen satis distincti sunt, *c*; secus, *n*. (idem dicendum de principiis v. c. rationis sufficientis, et causalitatis: cfr. ontolog.).

Objic. 6° Experimur sensum sympathiae vel antipathiae secundum quem judicemus; *e*. — R. *d.* semper experimur..., quoties de moralitate judicamus, *n*; saepe..., *sd.* ob unionem substantialem corporis et animae, qua fit ut facta rationalia, vel sensitiva, naturaliter influxum habeant in aliam partem, *c*; secus, *n*.

Objic. 7° Teste experientia, si corpus aliter disponitur, alia sunt nostra judicia de honestate. — R. *d.* ob influxum mutuum corporis et animae, attamen ita ut vinci possit error per voluntatem recte utendi nostro intellectu, *c*; secus, *n*.

QUAESTIO 2.

De imputabilitate et responsabilitate.

Propositio 19.

Fundamentum imputabilitatis et responsabilitatis est subjecti agentis libertas in actione.

Notiones. 1) *Imputabilitas* est proprietas actus humani, vi cujus ista actio vel ejus effectus debet agenti tribui tanquam suo auctori et domino, i. e. tanquam verae rationi suae existentiae, et quidem ita ut effectus bonitas vel malitia tribuatur agenti tanquam hujus perfectio vel imperfectio.

2) Fundatur imputabilitas in relatione dependentiae actus ad suum principium internum liberum ut causam proximam.

3) Correspondens imputabilitati actionis et effectuum, est agentis *responsabilitas*, i. e. habitudo subjecti, vi cujus tanquam actionum suarum auctor et dominus habendus est. Est autem responsabilitas sive *habitudo*, i. e. status permanens subjecti..., sive *actualis*, i. e. habitudo correspondens ad aliquam actionem determinatam...

4) *Imputabilitatis consecraria* sunt, ab aliis hominibus: a) judicia: aestimatio vel reprobatio; b) verba: laus vel vituperatio; c) facta: honor vel contemptus. Scilicet homines iudicio bonitatem vel malitiam actus et effectuum tribuunt agenti tanquam hujus perfectionem vel imperfectionem; verbis et factis expriment illud suum iudicium.

5) *Responsabilitatis consecraria* sunt, quod a) agens tenetur suae actionis rationem praestare, b) tenetur suae actionis effectus in se suscipere (unde meritum vel demeritum...).

Prob. Fundamentum imputabilitatis et responsabilitatis illud est propter quod subjectum agens proprie censi debet auctor et dominus suae actionis ejusque effectuum; *a.* id est subjecti libertas in actione; *e.*

Prob. min. Ad existentiam alicujus actionis et effectus requiritur: principium effectivum, et hujus principii determinatio ad producendum effectum; — ille vero est verus auctor et dominus actionis, qui independenter istam determinationem dat sine qua effectus non fieret; *a.* independenter istam determinationem dat ille qui liber est; *e.*

Coroll. 1^m Quidquid tollit, minuit, auget libertatem, eadem ratione tollit, minuit, auget imputabilitatem effectus et responsabilitatem auctoris.

Coroll. 2^m Ergo distinguendum est *peccatum formale*, i. e. malum imputabile, quia sufficienter cognitum libereque volitum; et *peccatum materiale*, i. e. malum objectivum non imputabile quia non libere volitum.

Coroll. 3^m Ut ipsius *actionis malitia* moralis imputetur, sufficit ut libere agens eam advertat, unde eam libere velle censetur quam vitare tenebatur; — ut autem *bonitas actionis* imputetur, requiritur non solum ut agens eam advertat, sed ut eam voluntas aliquomodo intendat, nam solum bonum a libera voluntate formaliter volitum ei imputatur, alia autem cognita bonitas actionis, a libera voluntate potuit tanquam circumstantia permitti potius quam intendi, nec jam imputatur.

Propositio 20.

Effectus malus cum actione connexus, et ab agente praevius, si est per se connexus, imputabilis est; si autem per accidens connexus, non est imputabilis dummodo agens jus habeat ad causam ponendam, et rationabile motivum suo jure utendi.

Stat. quaest. 1) De ipsius *actionis* bonitate vel malitia imputanda dictum sufficienter est in praecedente corollario; nunc quaeritur de *actionis effectuum* bono vel malo imputando. — De effectuum *bono* nulla est difficultas, nam potest voluntas eum, si fuerit praevius, etiam intendere, ac sibi imputabilem facere. De effectuum *malo* difficultas saepe oritur, utrum propter eum debeat actio aliunde honesta et ad bonum finem intenta omitti. Ad hanc ergo reduci potest tota quaestio.

2) Potest ille effectus malus actionis esse vel *praevius* ab agente, vel *non praevius*. De his per duas nunc propositiones dicimus.